

bellum impium dictitans, nocte, praeteritis hostium castris, infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res aq stativis excivit Metium. Dicit, quam proxime ad hostem potest; inde legatum praemissum nuntiare Tullo jubet, priusquam dimicent, opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis scire, ea se allaturum, quae nihil minus ad rem Romanam, quam ad Albanam, pertineant. Haud aspernatus Tullus, tametsi vana afferebantur, in aciem educit. Exeunt contra et Albani. Postquam instructi utrimque stabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. Ibi infit Albanus: «Injurias et non redditas res ex foedere, quae repetitae sint, et ego regem nostrum Cluilium, causam hujusce esse belli, audisse videor: nec te dubito, Tulle, eadem p[ro]tegerem te ferre. Sed, si vera potius, quam dictu speciosa, dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat. Neque, recte, an perperam, interpretor: fuerit ista ejus deliberatio, qui bellum suscepit. Me Albani gerendo bello ducem creavere. Illud te, Tulle, monitum velim: Etrusca res, quanta circa nos teque maxime sit, quo propior es Etruscis, hoc magis scis. Multum illi terra, plurimum mari pollut. Memor esto, jam, quum signum pugnae dabis, has duas acies spectaculo fore: ut fessos confectosque, simul victorem ac victimum, aggrediantur. Itaque, si nos dii amant, quoniam, non contenti libertate certa, in dubiam imperii servitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi, decerni possit.» Haud displicet res Tullo, quanquam, tum indole animi, tum sp[iritu]e victoriae, ferocior erat. Quaeren[tibus] utrimque ratio initur, cui et fortuna ipsa praebuit materiam.

CAPUT XXIV.

Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, nec aetate, nec viribus dispares. Horatios Curatiosque